Q. D. B. V.

DISSERTATIO JURIDICA.

DE

INVESTITURA PRIMA

Von Aelteſten Lehn-Brieffen.

QUAM

ſub PRÆSIDIO

DN. ADRIANI BEIERI, J. U. D ET PROFESSOR. PUBLICI.

ad d. Januarii

in Inclyta Academia Jenenſi

& Auditorio JCtorum

publicè defendet

A. & R.

JOHANN-FRIDERICH Freiesleben/

EISENBERG. MISNICUS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

JENÆ,

TYPIS GOLLNERIANIS.

ANNO M. DC. LXXXXI.

DEO.
PATRIÆ.
PATRONIS.
PARENTIBUS.

Hoc pietatis monumentum pie, devotè,
obſequioſè conſecrat

A. & R.

C. D.

PARS PRIOR
DE
INVESTITURA PRIMA.

THES. I.

INveſtitura, unde dicatur, neque inſtituti neque otii eſt noſtri: Res ab aliis jam occupata & expedita. *vid.* BOCERUS *de Inveſtitura Cap. II, n. 12.* Iſtud propius ad ſcopum pertinet, Verbum non eodem modò ſumi; ſed aliquando Actum, quò certis ritibus feudum alicui ſolenniter confertur ac traditur: aliquando Inſtrumentum ſuper dicto actu, rebusque in feudum datis ac mutuis pactis, in futuram rei memoriam confectum ſignificat. Atque utroque ſenſu, vel primus actus, primumque Inſtrumentum eſt, vel ex poſterioribus unum; An & quid interſit, videbimus.

THES. II.

Inveſtitura cùm pro ſolennitate actûs accipitur, dubiò procul majori cum pompa inſtituitur, primâ vice celebranda: Id quod & Domini & Vaſalli videtur intereſſe. Illius quidem, quia feudum beneficium eſt; adeoque ſi perfunctoriè celebretur, minus quoque æſtimabitur. Ac ſi vel maximè modeſtia

Senioris ſit, mediocriter de ſe ſentire; ſua facta, ſuas res minus æſtimare; non tamen ad ſui ſuorumque contemptum invitabit alios, vel etiam Vaſallos: credituros forſan, parum curaturum, ſi beneficium intervertatur, ſi quis inficietur factum; ſecurus, aut paucos interfuiſſe, nunc forſan mortuos; aut minus attendiſſe rem frigidè ac negligenter tractatam, adeoque iterum oblitos eſſe.

THES. III.

Vaſalli quidem, cujus ſtatus utique mutatur in melius, non ſolùm quantum ad bona fortunæ, illatô in familiam feudô; ſed & quantum ad dignitatem atque exiſtimationem perſonæ. Nam, ut legamus, varias ad acquiſitionem feudi admitti perſonas, in tantum, ut vel Ruſtico non denegetur, *per Jus Feudal. Sax.* Lehn R. *Cap. II.* nunquam tamen ſeu legeris ſeu audiveris, Infami datum fuiſſe: quinimò quantum ad Ruſticos, conſvetudinem eſſe in contrarium, tradunt COLERUS *Decif. LXXVII.* RAUCHBAR. *part. 2. Qv. XXI. n. 37.* CARPZ. *ad p. 3. C. XXIIX. d. 5.*

THES. IV.

Conſtitutionibus Pomeraniæ exſertim cautum, ne Ruſtici & Plebeji feudorum nobilium ſint capaces *Tit. II. Concl. 2.* Atque eapropter, quando per ſententiam creditoribus ejusmodi prædia addicuntur, clauſula inſeritur: Daß Creditor ſolle befugt ſeyn / Lehns-fähigen Perſonen daſſelbige zu verkauffen oder zu veräuſern: Sanè, Sereniſſimus Elector modernus, ulterioris Pomeraniæ Dux, qualitatem perſonæ conſiderare, & pro arbitrio ſuo hac in re diſponere valet ac ſolet: Indubiè tamen allaborabit, digniores magis, quàm abjectiores habere Vaſallos.

THES. V.

Quo poſitô, quis eſt, qui non gaudeat, diem hunc lætitiæ ſuæ magis eſſe feſtivum; ut vel plebi etiam, externa ſolùm at-

tendenti

denti notum fiat, quid hactenus geſtum fuerit; Nam & nuptias adornamus cum proceſſu per publicas plateas ad Templum, adhibitis confluxui plebis excitando Tubicinibus, induti veſtibus tantæ ſolennitati convenientibus. Ita enim non evenit, ut de Parentum ſtatu matrimoniali quisquam dubitet, ac liberis controverſiam legitimæ nativitatis moveat quondam. Cur non idem in Inveſtitura, eaque Prima?

THES. VI.

Celebritas ſanè pro ſtatu ac facultatibus cujusque adornari debet; quò faciunt Leges iſtæ ſumtuariæ ſubditis in univerſum ac ſeorſim cuique propoſitæ; ac ſolet ex Aula Cæſarea Legatis Principium Inveſtituram petituris Ceremoniale transmitti: Sed quod tamen magis circa venerationem atque cultum Majeſtatis ſufficientem, quàm in ſplendore ac ſumtibus moderandis occupatur; ut videre eſt ex deſcriptione actuum Inveſtiturarum Saxonicæ ac Brandenburgicæ, neutiquam primæ: *quam Magnificus Dn.* STRYKIUS *ad Examen Juris Feudalis appendi curavit.*

THES. VII.

Quando igitur Imperii Princeps feudum regale noviter acquirit, ſuæque familæ aut lineæ primus infert, quid vetat, actum ita ordinare, ut tam Majeſtati perſonæ conferentis, quàm gloriæ novi Vaſalli condignum adferat incrementum, actui autem ipſi æternam conciliet memoriam? Agebat hoc Mauritius, Dux atque novus Elector Saxoniæ, quando MDIIL. d. 24. Febr. in Comitiis Auguſtanis ab Imperatore Carolo V. Inveſtituram Electoratûs, & quæ iſthuc referuntur, primitus petebat, Deſcriptam latinè Sleidanus *Lib. XX. Hiſtor.* HORTLEDERUS *autem Tom. II. de Cauſis belli Germ. Cap. LXXXV.* Germanico idiomate ponit Autoris innominati kurtzen Bericht/ welcher geſtalt Keyſer Carl der V. Hertzog Moritzen zu Sachſen ꝛc. mit dem Ertz-Marſchall-Ambt und der Chur Sachſen/ ſambt etlichen andern Herrſchafften/ im Jahr 1548. den 24. Februa-

vi auff dem Reichs-Tage zu Augſpurg öffentlich unter dem Himmel belehnet hat, *ubi fol. 926. ſeqq.* legi poteſt.

Thes. VIII.

Nos, quoniam Inveſtituram, ut Inſtrumentum ſeu documentum literarium negotii denotat, in præſens ponderandam ſumſimus; miſſis illis ad hiſtoriam propius accedentibus, obſervamus, quantum ante omnia pertinet ad Nomen, Primam Inveſtituram ab Autoribus vocari ANTIQUAM. *vid.* GEORG. MUNDIUS *vol. I. Conſil. I. n. 74. ſeq.* inquiens, quod Inveſtitura nova antiquæ nihil deroget. BESOLD. *vol. 5. Conſil. CCXII. n. 9. fol. 44.* utrumque conjungit, dum ait: Semper enim attendendus eſt tenor Primæ & Antiquæ inveſtituræ. Idem contingit *apud* RICHTER. *vol. I. part. 6. Conſ. II. num. 22. fol. 24.* Et non absque myſterio quidem: quia per Interpretationem pro Prima habetur, ea quæ non eſt prior; ac dum incertum eſt Prima ne ſit, Antiqua dicitur. Dahero nicht anzuſehen/ inquiunt JCti Tubingenſes in quodam Reſponſo d. 28. Martii MDCXXIIX. *apud* BESOLDUM *Theſ. pract. verbo* Lehn, *p. m. 951.* Was Wenceslaus per privilegium geben/ ſondern was folgendes Lehnbar worden ſeye. Welches in defectu primæ Inveſtituræ ex antiquiori inter illas, quæ extant & haberi poſſunt, erlernet werden muß ꝛc.

Thes. IX.

Vocatur etiam ANTIQUISSIMA; *vid. prælaudatus* BESOLD *d. v. 5. Conſil. CCXII. n. 11.* quod ſtandum ſit, ajens, Antiquiſſimæ, non autem Novæ. Cui paria facit COTHMANNUS *vol. 5. Reſpons. IIX. n. 52.* Deinde, ſcribens, eſt quoque hæc Inveſtitura ſimultanea, ut omnium Antiquiſſima & Prima ſequentium.

Thes. X.

CAUSAS conſtitutivas, in quantum Inveſtitura eſt, non alias, quam unaquæque ſequentium habet. Nec enim facta

hominis atque ex inſtituto eſt, ut peculiare quid congenitum accipere oporteat; ſed ex eventu, dum accidit alicui inveſtituræ, aliàs ſequi. Quicquid autem præ cæteris habet peculiare, Ordinem & temporis prærogativam, ex Antiquitate eſt; ut caſu evadat & conſequatur, quod ex natura non habuit: NOVA enim tunc erat, nec melior, quàm quælibet harum: Et quæ hodie Noviſſima eſt, caſu evadere poteſt Prima, ſi quæ anteceſſerunt, deſierint eſſe.

THES. XI.

Non erimus igitur magnopere ſolliciti de Modo fiendi; primis quippe & aliis communi: Spectemus Rationem eſſendi, quisnam ſit ſtatus rei perfectæ. Eſt autem ille Abſolutus vel Relatus; nimirum ad ſecuturas, de quo *vid. infr. Part. 2.* Et abſolutus quidem modò per Veritatem, modò per Præſumtionem; quatenus ſcil. non modò quævis præſumitur prima, qua non reperitur alia prior, ut jam modò dictum: Verùm etiam in dubio pro prima præſumitur, quòd ſit vera, juſta, intemerata: & ſimiliter *arg. l. Sancimus. 27. Cod. de teſtam. l. cum tacitum 3. ff. de probat.*

THES. XII.

Unde fluit, ut cùm in priori Inveſtitura dictum eſſet, ut Maſculi & Fœminæ ſuccederent in feudis; in poſteriori, ſeu Renovatione legatur, ut Maſculi tantùm; Mutatio hæc pro non facta habeatur. *per c. 1. §. ſi quis fecerit. Quo temp. mil. inveſt. pet. deb. 1. F. 22.* DECIUS *in l. Non debet. 74. ff. de R. J.*

THES. XIII.

In veritate ac ſenſu proprio acceptæ Inveſtituræ primæ, obveniunt cùm Tenor ejus, tum Natura & Effectus. & TENOR quidem quantum ad ſua ſubſtantialia; Quis nempe, Cui, Quam rem, quibus legibus dederit; Quæ tamen, quoniam in quavis Inveſtitura neceſſaria ſunt & occurrunt, neque hîc peculiare quid inferunt, iiſdem haud immorabimur. Pacta autem

autem adjecta omninò ſunt ſervanda; ſicut ipſa ſubſtantialia. Imprimunt enim pacta Primæ Inveſtituræ certam qualitatem & onus: *Secundùm Camerar. in t. Imperial. p. 82. & 86.* RICHTER. *vol. 1. part. III. Conſil. VIII. num. 51. fol. 46.*

THES. XIV.

Quando igitur Vaſallus in prima Inveſtitura receperat Domino, ſi quid poſthac rerum allodialium acquiſiturus ſit, eaſdem quoque Domino in feudum oblaturum. Atque Succeſſores ejus dubium movere ſatagebant, Volueritne ſuos etiam heredes ad hoc adſtringere? Domini JCti hujus Academiæ, ad conſultationem Illuſtrisſimi Ducis Wilhelmi, Menſe Majô MDCL. affirmativè reſpondere minimè dubitârunt: per rationem, quòd pactum iſtud Primæ Inveſtituræ ſit adjectum: At hæc ſit cœterarum radix. *ap. Dn.* RICHTER *part. 3. Conſil.* IIX. *n. 49. ſeqq.*

THES. XV.

NATURA Inveſtituræ primæ hæc eſt, quòd ſit cœterarum ſequentium Radix, Fundamentum atque Baſis; ſiquidem in feudis ſemper Prima Inveſtitura, tanquam Radix omnium, attendenda eſt; *ut dicit* BALDUS, *quem laudat* BESOLDUS *vol. 1. Conſ. III. cap. 4. Tit. 4. n. 18. fol. 174. b.* Prima inveſtitura Radix & veluti Baſis atque Fundamentum omnium ſequentium debet reputari. Idem in Conſilio quodam Tubingenſium de Anno MDCXXIIX. 28. Martii, quod inſeruit *Theſ. pract. ſub verbo* Lehn. *Quaſt. 1. fol. mihi 942. b.* Quare & Scabini Electorales Saxonici, qualitati ſeu proprietati RADICATIONIS, aliam jungunt, JUSTITIÆ: in quodam reſponſo, Rudolpho à Bünau Menſe Majô MDCXXXIII. dato *verb.* Dannenhero aus ſelbigem Anno 1584. ertheiletem/als dem Erſten/ältiſten und Richtigſten Lehnbrife/welcher baſis und fundamentum in dieſer zweifelhafftigen ſtreitigen Lehens-Sachen iſt und gehalten wird & ſeqq. *apud* CARPZ. *ad p. 2. C. XLV. d. 31. in fin.*

THES

Tanquam nimirum ea cœterarum ſit Norma, quorſum quaſi ad ſcopum in caſibus dubiis recurritur. Superſedemus innumera Autorum loca Baſin, Fundamentum, Radicem eam dicentium; unde ſatis ejus natura conſtat. EFFECTUS alius Abſolutus eſt & à priori; Isque Poſitivus, v. g. Dare legem REI. Nam quilibet poteſt rebus ſuis, dum in alium transfert, imponere modum vel legem, quam velit *per l. 21. C. Mand.* At transfert utique, qui dat in feudum. E. dubio procul modum, rei qualificandæ adjecit, quo ipſo ſtatum certum impresſit. *per l. contractus 23. de R. J.* Cothmannus *vol. 2. Conſil. LVI. n. 113.*

Thes. XVII.

Ampliatur hoc procedere etiam contra ordinarium ſtatum feudalem; ſeu, ut non modò ex allodio feudum facere queat, ſed neque hujus naturalia præciſè ſervare teneatur, ſed posſit facere Improprium, v. g. quoad ſucceſſionem Aſcendentium, quæ Jure feudali cœteroquin ignoratur. *2. F. 50. pr.* Niſi aliud in Prima Inveſtitura actum ſit. Niell. *Diſput. feudal. VI. th. 1. p. 81. per 2. feud. 24. vid. Arum: Colleg. Feud. diſput. III. th. 7. lit. F.*

Thes. XVIII.

Alius Effectus ſecundò eſt, Tribuere jus radicatum PERSONÆ; Filiorum enim Jus in feudo antiquo ex Prima inveſtitura non minus eſt radicatum, quàm Jus Agnatorum. E. illud Filiis non minus, quàm agnatis integrum manere debet. Dn. Richter *part. 2. Deciſ.* LXXIX. *n. 19. per ibi allegat.*

Thes. XIX.

Tertius Effectus eſt, Conſtringere Inveſtituras ſequentes ad conſonantiam, continere in officio ne degenerent; quia natura & qualitas veterum Inveſtiturarum per novas inveſtituras immutari non poteſt. Die alte Natur/Ahrt und Eigenſchafft eines Stammen-Nahmens-oder Lienien Lehns/ mag nicht/ dem dritten zu Nachtheil verkehret oder verändert werden.

Geil. *2. Obſerv. IL, n. 2. ubi multos allegat Dd. qui dicunt:* Formam novæ Inveſtituræ nihil derogare antiquæ Inveſtituræ, & Recognitionem Feudi aliter ſolitò factam, Poſteritati non eſſe nocumento.

Thes. XX.

Inſtas: Atqui poſſet iſta contrarietas oriri ex eo, quòd Dominus & Vaſallus à prima recesſerint: quid E. impedit, quominus adhæreamus poſteriori? Nam dies diem docet; & cogitationes poſteriores ſolent meliores eſſe prioribus. Reſpondetur: Novationes non lege & ex præſumtionibus fiunt, ſed verbis tantùm: Ideoque tamdiu ſtandum eſt Primæ, donec conſtet de ejus abrogatione manifeſta. Prima eſt reliquarum radix & baſis; adeoque ſi non ipſa reliquis obſcurior, erit earum Norma. Et ſi vel maximè velint Senior & Vaſallus, ac mutaverint voluntatem, Non tamen usque licet; quoniam Agnatorum intereſſe cepit ſe immiſcere: procedit regula quantum ad contrahentes ipſos.

Thes. XXI.

Effectus igitur Negativus, aut ſi mavis, Prærogativæ atque privilegia inveſtituræ primæ ſunt I. quòd ab contextu ejus non debeat in poſterioribus diſcedi. Domini Lipſienſes apud Cothmannum *v. 5. Conſil.* IIX. *n. 52. fol. 190.* aut ſi factum ſit, in judicando tamen illam potius, quàm has ſequi oporteat. Ita Beſoldi Fratres approbante Facultate Juridicâ in Inclyta Academia Tubingenſi *part. 6. Conſil.* CCLIIX. *n. 86. fol. 16.* inquiunt: item à prima inveſtitura non eſt recedendum propter Inveſtituras poſteriores, etiam frequentes, aliter quàm prima inveſtitura loquentes. Quòdque ſtandum ſit antiquisſimæ, non autem novæ & alteratæ, ſcribunt quam plurimi, quos congesſit Menoch *Conſil. CXCI.*

Thes. XXII.

Deinde II. quòd eidem Primæ per poſteriores non debeat

ac poſſit derogari. Quia enim omnes ſequentes habent Relationem ad primam,& ideò factæ cenſentur ad confirmationem non ad derogationem præcedentis primæ Inveſtituræ; Ideoque non poſſunt contrarium effectum vel derogationem operari. BESOLD.*v.I. Conſil. III. cap. 4. tit. 4 n. 19. per l. 19. de legat. 1.* Atque exinde conſulendo reſpondet MUNDIUS *v. 1. Conſil. V. n. 74. ſeq.* quòd Inveſtitura nova, in qua commiſſus erat dolus, inſerendo vocabulum Erben vel ſeines Bruders ſeel. Erben tanquam varians & à prima recedens, antiquæ, in qua vox Erben non inveniatur, ſed ſimpliciter für Sich und ſeinen Bruder Florian Lochnern legatur, nihil deroget. Laudans. GEIL. *2. Obſerv. IL. n. 9.*

THES. XXIII.

Ampliatur hoc, ſive id fiat (1.) Corrigendo. Renovatio namque eſt Juris antiqui confirmatio; & ſic per conſequens iſta renovatio non debet aliquid in contrarium, nempe Correctionem quandam antiquarum literarum Inveſtiturarum, der alten Lehn-Brieffe / inferre. BESOLD. *vol. 5. Conſil. CCXII. n. 10. fol. 44. b.*

THES. XXIV.

Ampliatur (2.) ut longè minus fiat Mutando; Prima enim Inveſtitura radix & veluti Baſis atque fundamentum omnium ſequentium debet reputari; ad ejuſdemque tenorem tanquam ad cynoſuram, poſthabitis aliis, perpetuò recurri: Nec invitò alterutro, etiam à ſummo Principe mutari eive derogari poteſt. *§. notandum ult. de his qui feud. dare poſſ. 1. F. 1. l. cum ſatis. p. §. 1. verſ. caveant C. de Agric. & Cenſ. XI. 67. l. f. C. Arb. tut. l. ſicut 5. Cod. de O. & A. l. contractus 23. de R. J.* BESOLD, *in alleg. Conſil quod inſeruit Theſ. pr. verb.* Lehn *p. m. 942.*

THES. XXV.

Atque imò, Ne præſumitur quidem harum unum: quia Mutatio qualitatis perinde ac Mutatio ſubſtantiæ, non præſumitur

mitur; ſed qualitas, quæ ſemel incepit ineſſe, ſemper perdurat: & Alienatio atque translatio cenſetur facta cum omnibus qualitatibus. Klock. *Conſil. CLXXXII. num. 253.* Ut, dum anteà fuit Hereditarium, nunc merum jactetur fœmineum, ein ſd. lecht- Tochter-Lehn. Aut dum Fœmineum fuerat, nunc aſſeratur maſculinum. Talis mutatio pro nulla habetur. *c. 1. §. ſi quis fecerit. Quo tempore ſimult: inveſt. pet. deb. 1. F. 22.*

Thes. XXVI.

Ampliatur noſtra theſis (1.) Licèt dicatur conſenſiſſe ac confesſum eſſe Posſesſorem. Quia Vaſallus cui Inveſtitura renovatur, in ea opinione eſſe cenſetur, quòd renovatio ſibi fiat, ſecundùm tenorem priorum inveſtiturarum, & cumprimis Primæ. Ac cùm nemo præſumatur voluiſſe juri ſuo renuntiare; Is, qui Conſenſiſſe dicitur in id, quò Jus ſuum redditur deterius, id ex ignorantia vel errore feciſſe cenſetur. Klockius *Conſil. CLXXXII. n. 116. ad 120.*

Thes. XXVII.

Vel etiam ex Metu: Sive de Domini præjudicio agatur, ſive de Vaſalli. Doctores laudati Richtero *v. 1. part. 3. Conſ. IIX. n. 51.* Et tàm Vaſallus quàm poſteri & Agnati ſemper & quandocunque iſtum errorem revocare poſſunt, primam inveſtituram producendo & docendo, eam & ſequentes diſcrepare. Schrader *Conſil. XIV. n. 230. ſeqq.*

Thes. XXVIII.

Deinde (2.) Ampliatur: Etiamſi dicatur: Ex certa ſcientia factum id eſſe: Cùm posſit ea confuſa & minus ſolidè informata fuiſſe. Neque enim invalidam reddi primam inveſtituram Nudâ atque indiſcretâ certæ ſcientiæ confesſione, ait Gotofred: Antón. *Diſp. feud. IIX. th. 9. lit. c. & Vultejus lib. 1. de Feud. cap. VII. n. 98. ſcribit:* Quia Vaſallus cui inveſtitura renovatur, in ea opinione eſſe cenſetur, quòd renovatio ſibi fiat ſecundùm tenorem priorum inveſtiturarum & cumprimis omni-

um

umprimæ. Ac cùm nemo præſumatur voluiſſe Juri ſuo renunciare; Is, qui conſenſiſſe dicitur in id, quo jus ſuum redditur deterius, id ex ignorantia vel errore feciſſe cenſeri, ut *Vultejus ait apud* KLOCKIUM *p.* 3. *Conſil. CLXXXII. n.* 118.

THES. XXIX.

Ampliatur (3.) ut ne quidem fiat per ſummum Principem invitò alterutro atque immeritò: ut cui jus ſuum quæſitum ſine cauſa nequit auferri: per Jura vulgata. Nam Principis intentio ſemper intelligitur eſſe talis, qualis eſſe debeat de Jure & æquitate; atque in dubio cenſetur habere voluntatem conformem Juri *l. digna vox* 4. *C. de LL.* Idque Doctores deducunt *ex di. §. notandum* 1. *F.* 1. *& ex pr. de Feud. ſin. culp. non am.* 1. *F.* 21. *junctò pr. de Nat feud.* 1. *F. VII. & de Mil. Vaſall. qui contum.* 2. *F.* 22. ROSENTHAL. *de Feud. cap.* 6. *concl. XXIX. n.* 1.

THES. XXX.

Et hoc (4.) in tantùm procedere ajunt, ut præſumantur obreptitiæ & ſubreptitiæ, ſequentes Inveſtituræ, quæ primam immutant: adeoque non attendantur: & Princeps præſumatur deceptus: quando venit contra priora placita conceſſionesque. WESENB. *vol.* 1. *Conſil. IV. n.* 36. *ſeqq. fol.* 199. & quos præter alios laudat BALD. *part.* 2. *Conſ. CCXV.* DECIUM *in l. Nemo poteſt.* 75. *ff. de R. J. per l. divi Fratres* 17. *ff. de Jur. Patron.*

THES. XXXI.

Declaratur tamen ſuperior doctrina procedere (1.) in caſu dubio, ut cùm de mutatione certò non conſtat. Ut fallat, ſi mutatio reverà contigerit, idque expreſsè factum & ab omnibus quorum undiquaque intereſt, Domino, Poſſeſſore, Agnatis ſponte ſeu motu propriò legitimè & ex certa ſcientia ſit approbatum *conf.* WESENBEC. *v. I. Conſil. XLI. n. III. ſeqq.* Id quod tamen ab allegante probandum eſt; nec enim mutatio præſumitur; ſed potius à ſtatu præterito licet inferre ad præſentem. MENOCH. *lib. I. præſumt. cap.* XXIV. *num.* 8. *ſeqq.*

THES. XXXII.

Neque verò probatio perfunctoria ſufficit, ſed oportet MANIFESTE probari. *l. cùm hic ſtatus 32. §. 4. ff. de Don. int. V. & U. l. eum qui 22. ff. de Probat.* Et ſi v. g. Dominus dicat Novum eſſe feudum, CLARE hoc & CONCLUDENTER probandum eſſe ſcribit Cavalcanus apud KLOCK. *Tom.* III. *Conſ.* CLXXXII. *n.* 117. Renovationes ſequentes, niſi de expreſſa novatione ex certa ſcientia ſpontè & legitimè facta appareat, tanquam erroneas corrigendas eſſe *ſcribit Paris laudatus* KLOCK. *ibi n.* 116. VULTEJUS *etiam ab eodem ib. n.* 118. allegatus ait Conſtare debere ex inveſtitura ipſa vel aliunde quâ aliâ ratione, quòd mutatio in ſubſeqq. inveſtituris ex certa ſcientia facta, & in eam utrinque reverâ conſenſum ſit.

THES. XXXIII.

Declaratur (2.) ſi in alicujus præjudicium mutatio ſit attentata: Is enim utique comperta re contradicet; ut fallat, ſi mutatio nihil importet. Quamquam & hîc à Sorite politico ſit cavendum, quó progresſus fit à minimis ad maxima, ac ſolum tentatur vigilantia & patientia alterius. Aut tacuit enim, & conſenſiſſe dicitur; aut animadvertit, atque reductionem ad ſtatum priſtinum urget, Error prætenditur, cum pollicitatione, man wolle ſich weiſen laſſen.

THES. XXXIV.

Declaratur (3.) ſi eo fiat invitò: cui nemini jus ſuum auferri poteſt; ut fallat Eo conſentiente: per jura vulgata: Volenti non fit injuria, Juri pro ſe introducto renunciari poteſt, Beneficium invito non datur. Hoc itaque dum agitur, Citandi ſunt omnes, quorum quavis ratione intereſſe poteſt. Quanquam conſenſus ex ſcientia ſine contradictione ex lapſu anni præſumatur *ex 2. feud. 26. ſi de feud. defunct. §. Titius filios in f. conſ.* DN. STUV. *S. F. c.* XIII. *aph.* 18. *n.* 2.

THES.

THES. XXXV.

Ex ſuperius deſcripto Primæ Inveſtituræ ſtatu, quo ſecuturarum omnium eſt Idea, fluit alius Effectus, isque Relativus & à poſteriori, Eſſe videlicet (1.) ad eam recurrendum, eamque inſpiciendam, in omnibus emergentibus & incidentibus negotiis & quæſtionibus *c. un. in f. verb. Inveſtituræ tenorem. de duob. fratr. à Cap. inveſt. 2. feud.* XIIX. *ibique Dd.* & quos alios textûs atque Autores allegant *DN. JCti Roſtochienſes apud* COTHMANN: *v. 5. Conſil.* IIX. *n. 8.*

THES. XXXVI.

Deindè *(2.)* Pacta verbaque ejus ac tenorem ſemper & imprimis attendendum eſſe, BESOLDUS *p. 5. Conſ.* CCXII. *n. 9.* WESENB. *Conſ. XLI. n. 101.* id quod tanquam Juri conforme admittit *Regnerus Sixtinus apud* RICHTERUM *vol. I. part. 6. Conſil. II. n. 68.* Pacta & forma Inveſtituræ primæ per omnia debent obſervari. *add.* MUND. *vol. 1. Conſil. IIX. n. 52.*

THES. XXXVII.

Ampliatur hæc doctrina (1.) procedere etiam contra Inveſtituras poſteriores, in quibus aliquid eſt alteratum, ut ait *Thom.* MERKELBACH. *apud* KLOCKIUM *vol. 2. Conſil.* XXIII. *n. 63.* Deinde (2.) adeò ut Tenor primæ inveſtituræ attendendus etiam ſit contra natûram feudi, ut ſtatuit innominatus ille JCtus clariſſimus *apud* BESOLD. *vol.* 1. *Conſil.* III. *cap.* IV. *Tit.* 4. *n.* 18. *fol.* 174. *b.*

THES. XXXVIII.

Equidem prælaudatus MERKELBACHIUS *dict. Conſ.* XXIII. *n. 63.* Quæſtionem illam: Ecquid Prima Inveſtitura valeat mutari? negativè decidit, ſtatuens, Tenorem primæ attendendum eſſe, ſub ampliatione: Etſi in aliquibus alteratum eſſet. Notabiles tamen daclarationes binas admittit (1.) ſi quod in Antiqua fuit ſubobſcurum, in poſteriori declaretur: (2.) ſi per illam mutationem res reducatur quam proximè ad propri-

am feudi naturam: Provocans id *n.9. & 10.* ubi ad rationibus prægnantibus & Autoribus firmaverit.

THES. XXXIX.

Sed diſciplet hoc SCHRAD. *Conſil.* XIV. *n. 229.* ubi ampliat: Etiamſi poſteriores inveſtituræ magis conveniant Juri communi: Namque nihilominus prima inveſtitura à poſterioribus diſcrepans, attendenda & ſecundùm eam de feudo judicium faciendum eſt. Nullâ habitâ conſideratione, quid ſequentes inveſtituræ diſponant vel contineant: Quæ verba ex eo recenſet KEOKIUS *Tom.* III. *Conſ.* CLXXXII. *n.* 106. *fol. 753. a.*

THES. XL.

Quòd nobis rectius videtur; ob id, quòd niſi iis quas ſuprà admiſimus legibus, mutatio fit inſtituta; neutiquàm ſpectandum ſit, quid velit natura feudi, ſed quid partes contrahentes, quibus ab ea recedere licet, dum velint; voluiſſe autem, verba primæ Inveſtituræ docent; quæ impedit poſteriores. per dicta *ſuprà th. 21. h. & quæ thes. prox. ſequuntur.*

THES. XLI.

Tertius Effectus (3.) eſt, quod cœteræ ſequentes Inveſtituræ potius ad primam tanquam Normam, baſin, ac radicem ſuam ſunt regulandæ; quàm ut in præjudicium aliorum, ſine ipſorum voluntate per eas ab illa recedatur. *DN. JCti Roſtochienſes apud* COTHM. *v. 5. Conſ.* IIX. *n. 52.* Et ad primam omnes ſequentes confirmandæ. MUND. *vol.* I. *Conſil. V. n. 52.*

THES. XLII.

Declaratur tamen, Poſitô (1.) Plures adeſſe inveſtituras præter primam: unius à ſe ipſo nulla disſenſio & (2.) illas quæ adſunt, ab illa prima diſcrepare. Nam ſi conſentiant invicem, nihil intereſt, utras ex illis ſequamur. Privatio præſupponit habitum, & unde non digresſi ſumus, iſthuc reduci non habemus opus. Nec temerè inducamus diverſitatem, potius ſic interpretemur, ut concordent. In dubio, præſumitur ſequens facta ſecundum conditiones in prima appoſitas BESOLD. *v. 5. Conſil.* CCXII. *n.* 11.

THE-

THES. XLIII.

Quartus denique Effectus, eſt Poſteriores Inveſtituras declarare; *ſicut ex* BORCHOLT *ſtatuit* MUNDIUS *dict. Conſ. V. n. 75. vol. 1. add* DN. STRUV. *S. F. cap. 1. aph. XI. n. 3. fol. mihi 38.* Id quod tamen præſupponit, eas hàc eſſe obſcuriores; atque adeò declarabimus Procedere caſu, quo illa eſt clara, plana & manifeſta; Illæ contrà dubiæ & obſcuræ: ut Fallat, ſi contrà.

THES. XLIV.

Inveſtituræ enim poſteriores, licèt non mutent, tamen declarant priores; & quando in anterioribus quid ſubdubiè & obſcurè poſitum, quod in ſequentibus clarius & ſpecialius expreſſum eſt, tunc ſecundum poſteriores de anteriorum tenore judicatur. Ut ex ROSENTHALIO admittit etiam DN. STRUV. *S. F. cap. 1. aph. XI. in fin. fol. mihi 39.*

THES. XLV.

Antonius Sola in Conſtitut. SABAUD. *de Feud. Gloſſ. un. n. 8.* ait: ſequi oportere Inveſtituras poſteriores declaratorias primæ, ſi prima ſit obſcura, vel capax declarationis: & ROSENTHAL *de Feud. cap. 6. conſ. 69. n.* 13. declarationem & interpretationem contra Dominum faciendam eſſe, multis Doctorum autoritatibus *ſub. lit. O. ibid.* relatis comprobat: adde hæc omnia referentem KLOKIUM *Tom. 2. Conſil. VII. n.* 184. *fol.* 116.

THES. XLVI.

Pergunt equidem alii, Declarando (2.) procedere hanc poſteriorem adverſus primam declarandi licentiam, Quando Juri Feudali ea ſit conformis. Et fatemur, annitendum ut res quævis reducatur ad ſtatum genuinum, & negotia quàm poteſt proximè reducantur ad diſpoſitionem Juris Communis, ut ab eo quàm minimè recedatur. Sed enim; procederet hoc in caſu dubio, & cùm inveſtitura prima eſſet obſcura. Perinde, uti non tam Feudi naturam, quàm Partium voluntatem eſſe ſpectandam *diximus th. 40.*

THES. XLVII.

Itaque ſi ex errore vel ex aliqua calliditate alterata fuiſſent primæ Inveſtituræ pacta, & ab antiquiſſimis inveſtituris inpræjudicium aliquorum ab indè receſſum; Hôc caſu mutatus literæ tenor ne inſpicietur quidem, ne dum ad ejus ideam prima declaretur; ſed fides antiquis Inveſtituris, & ratio conſtaret: ut latius perſequitur ZASIUS *dicens,ità pulcrè docere*: DECIUM: *laudante utroſque* WESENBEC, *vol. 2. Conſ.* LXXIV. *n. 86.pag. 304.*

PARS SECUNDA. DE INVESTITURIS RECENTIORIBUS.

THES. I.

Oppoſitum Primæ Inveſtituræ relativum, ſunt Inveſtituræ Sequentes: quarum STATUS conſiſtit (1.) in eo, quòd omnes ſequentes Inveſtituræ habent Relationem ad Primam. BESOLD. *v.I. Conſil. III. cap. IV. tit.4.n.*18.(2.) in Renovatione prioris: nam Renovatio nihil aliud eſt, quàm primæ inveſtituræ recognitio, *Magnif.* DN.STRYK. *Exam. Jur. Feud. Cap. XVII. q.1.* Renovatio feudi eſt confirmatio & redintegratio inveſtiturarum primitùs factarum. ARUM. *Coll. Feudal. Diſp. III.th.5.lit.A.* Antiquæ autem inveſtituræ Renovatio, propriè non eſt inveſtitura.

THES. II.

Exinde complúſcula fluunt Conſectaria, partim Poſitiva; & Primò quidem: ESSE eas primæ ſeu antiquæ (1.) Renovatorias & (2.) Recognitorias; per jam dicta. Ratio, quia Prima cenſetur omnes ſecuturas in ſuo genere continere. *conf.* WESENB.

v. 1.

v.1.Conſil. XLI. n. 129. ſeq. (3.) ejusdem Acceſſorias: quia novi nihil conferunt vel inducunt, ſed ſunt acceſſorium primæ. KLOCKIUS *Tom. 2. Conſil. VI. n. 16.*

THES. III.

Conſequenter ejusdem primæ (4.) Confirmatorias. Nam ut ait MUNDIUS *vol. 1. conſ. V. n. 51.* ſunt eæ non inveſtituræ novæ; ſed antiquæ confirmatio. Renovatio feudi, *inquit* ARUMÆUS *Diſput. Feudal. III. th. 5. lit. à* eſt confirmatio & redintegratio inveſtituræ primitùs factæ.

THES. IV.

Quapropter & (5.) ſecundùm primam cœteræ ſunt intelligendæ: Ita enim fatetur SIXTINUS *apud* RICHTERUM *vol. 1. part. 6. Conſ. II. n. 68.* Es iſt auch nicht ohne / daß dem Rechten gemäß / quòd prima Inveſtitura attendi, & ſequentes juxta eam intelligi debeant. Ita enim & VVESENBEC. *part. 1. Conſ. XLI. n. 131. in fin.* Poſteriores inveſtituras generales ſecundùm clauſulas & qualitates primæ eſſe intelligendas; conſequenter (6.) juxta eandem interpretandas: ut ſcil. intelligantur easdem habere clauſulas, qualitates & effectûs. Idem *Conſ. IV. n. 36. fol. 199.* Qui poſtmodùm *Conſil. XLI. n. 2.* repetit, quòd Inveſtituræ poſteriores ex prioribus, & ſecundùm harum ſententiam verbaque ſint interpretandæ.

THES. V.

Quinimò (7.) ad eam Conformandas eſſe vult VULTEJUS *de Feud. Lib. I. Cap. VII. n. 105.* Poſtremò ſciendum eſt, inquiens, in feudorum renovationibus ſemper ſpectandam eſſe Inveſtituram primam, & Renovationem eſſe ad eam conformandam. Idque multo magis obtinet, ſi poſteriores Inveſtituræ anteriorum mentionem faciant, hôc aut ſimili modô: Concedo Titio, prout ejus Majores à noſtris Progenitoribus *&c.* tenuerunt. KLOCKIUS *vol. 2. Conſ. VI n. 20. repetens hoc Tom. 3. Conſil. CLXXXII. n. 107. ubi n. 252.* addit, Quando poſteriores ſe ad priorem ſeu explicitè ſeu implicitè referunt, nunquam cenſeri factam prio-

ris inveſtituræ mutationem. Fruſtrà ſiquidem provocaretur ad oppoſitum.

THES. VI.

Ampliatur (1.) Quòd & ſine hac relatione, feudum præſumatur conceſſum cuilibet, etiam ſingulari vel extraneo ſucceſſori, cum iisdem pactis omnibusque qualitatibus, quibus conceſſum erat Anteceſſori: quia Mutatio Qualitatis, perinde ac Subſtantiæ non præſumitur; ſed qualitas, quæ ſemel cepit ineſſe, ſemper perdurat: & Alienatio atque Translatio cenſetur facta cum omnibus qualitatibus. *ibid. n. 253.*

THES. VII.

Ulterius (2.) ampliat hoc WESENB. *v. 1. Conſil. XXXIV. n. 43. fol. 850.* Etiamſi nulla iſtiusmodi antiqua Inveſtitura appareat: ut quæ nihilominus talis, qualis hæc præſens, & ad illam provocans eſt, præſumitur fuiſſe. Pro quo facit, quòd Bartolus in ſimili doctrina de Lege, quæ ſe referat ad aliud ſtatutum vel conſuetudinem, ſcribit: Quòd ſcil. etſi illud non reperiatur, nihilominus tamen Lex & ordinatio valebit. Ac Vaſallum, ſi juret ſe non habere, exhibitione antiquarum iri liberatum. Qui E. habet novas, non cogitur oſtendere antiquas inveſtituras. CURT. JUN. *part. 1. q. VII. n. 44.*

THES. VIII.

Deinde inter Conſectaria eſt, PRÆSUMTIO. & quidem (1.) Concordantiæ cum prima, tanquam compoſitæ juxta illius clauſulas: Quaſi habeant easdem clauſulas, ait RICHTERUS *vol. 1. part. 3. Conſ.* IIX. *n.* 51. qualitates & effectûs, *conf.* WESENB. *dict. Conſil. XLI. n.* 130. Præſumitur deinde (2.) ſequens facta ſecundùm CONDITINES in prima appoſitas. CURTIUS JUNIOR *part.* 1. *quæſt. VII. n. 44.* cui adſtipulatur KLOCKIUS *dicto Conſ. CLXXXII. n.* 106. Porro (3.) intelliguntur eosdem habere EFFECTUS & (4.) QUALITATES & clauſulas, ut ait WESENB. *p.* 1. *Conſi. IV. n. 36. fol. 199.* Quod ſcil. relatum cum omnibus ſuis qualitatibus

qualitatibus intelligatur eſſe in referente; Etiam quoad capitula non-expreſſa. RICHT. *v.* 1 *p.*III, *Conſ.* VIII. *n.* 46. & WESENB. *d. Conſ.* XLI. *n.* 130.

THES. IX.

Amiſsô etiam intermediô alicujus inveſtituræ inſtrumentô, præſumitur (5.) ſequens in omnibus clauſulis PACTIS atque PUNCTIS ad RATIONEM primæ factum eſſe. MUND. *vol.* 1. *Conſ. V. n.* 54. Nam inveſtituræ poſteriores ex prioribus & ſecundùm harum (6) Sententiam, Verbaque ſunt interpretandæ. VVESENB. *Conſ. XLI. n.* 2. In feudis enim antiquis Tenor primæ Inveſtituræ in deſcendentibus ſervandus eſt: Ita, ut ſtylus literarum variari non debeat. ZASIUS *part.* VI. *n.* 23. *qualiter feuda conſtit.*

THES. X.

Ampliat hoc (1.) VVESENB. *part.* 1. *Conſil. II. n.* 8. adeô, ut etiamſi expreſsè non fiat ejus relatio, Tacitè tamen ſemper inſit, & ejus clauſulæ & qualitates omnes in ſequentibus inveſtituris intelligantur ineſſe & repeti. Deinde (2.) Ampliatur: ad mittendum potius, ut verba ſive pacta poſterioris inveſtituræ ſint ſupervacua, nihilque penitus operentur, quàm ut primæ per eam derogetur. KLOCKIUS *Tom.* 3. *Conſil. LXXXII. n.* 5. (3.) Licèt poſteriores continerent aliquid ſpecialius. WESENB. *v.* 1. *Conſil. IV. n.* 36. In tantum, (4.) ut prius quàm patiamur Poſteriores Primæ derogare, neceſſe potius ſit verba detorquere ad ſignificationem impropriam vel impropriiſſimam. KLOCK. *Conſ.* CLXXXII. 105.

THES. XI.

Declarantur tamen ſuperiora; procedere in caſu dubio, & cùm poſteriores illæ *videntur* ſolùm diſcedere; aliquâ tamen in-

Ita certum eſt, non eſſe rem neceſſitatis, Eandem retinere; ſed quâ libertate primam condere, in eaque contra Jus feudale & naturam feudalem diſponere valuerunt, eâdem libertate in Renovationibus ab eadem rurſus diſcedere & contrarium inducere potuerunt. *vid.* KLOCK. *Tom.* III. CLXXXII. *n.* 116.

THES. XII.

Debet autem mutatio facta eſſe (1.) reverâ, & quidem non (2.) ſponte ſolùm & (3.) ex certa ſcientia, ſed & (4.) expreſsè hoc inter Dominum & Vaſallum actum eſſe, ut à prima recedatur. VULTEJUS *de feud. lib.* 1. *cap.* VII. *n.* 105. *denique* (5.) ritè atque legitimè omnia geſta eſſe, vocatis ad hoc Agnatis & quorum intereſſe poteſt. Quia Agnati fortius jus in feudo habent, quàm Dominus ipſe. §. *fin. Qual. olim feud. pot. alien.* Et quàmvis in hoc Hic aut ille agnatus, de cujus fortè commodo agitur, conſentiat, atque ita Jus familiæ repudiet, tamen ejus conſenſus & renunciatio non incommodat aliis. WESENB. *p.* 1. *Conſil.* XLI. *n.* 107.

THES. XIII.

Debent etiam omnia hæc poſtmodùm probari poſſe; & quidem clarè & concludenter KLOCK. *dict. Conſil. CLXXXII. num.* 118.

THES. XIV.

Conſectaria NEGATIVA ſunt (1.) non variare neque antiquam alterare debere. WESENB. *p.* 2. *Conſ.* LXXIV. *n* 39. ſeu addendo ſeu detrahendo. KLOCK. *Tom. II. Conſil. VI. n.* 18. nec derogare. Id. *Tom. III. Conſ. CLXXXII. n.* 105. E. g. ſi Prima fuit limitata & reſtricta, Nova non admittitur pura. Si Illa ad Mares & fœminas ſit directa, Poſterior non procedet ad ſolos mares: aut verſâ vice, ſi prima ſolis maribus competat, ad fœminas protendi non poteſt.

THES. XV.

Ampliatur (1.) Etiamſi *plures* repetitæ renovationes adſint, quibus v. g. maſculi ſoli vocati fuerint; Fœminæ tamen, renovationibus iſtis non obſtantibus, caſu ferente nihilominus admit-

admittendæ ſunt. Vultejus *lib.1.de Feud.cap.VII.n.105.* quem laudat ac ſequitur Klock. *Conſil.* CLXXXII. *num. 110.*

Thes. XVI.

Ampliatur (2.) licèt dicatur Ex certa ſcientia factum; ſi ſcil. fuit nuda & indiſcreta. Vaſallus enim cenſetur in ea eſſe opinione, quòd Renovatio fiat juxta primam; & qui conſenſiſſe dicitur, creditur errore & ignorantia feciſſe. *Id. ib. n.* 118. Quoniam præſumitur error, cùm quis facit alio modò quàm facere tenebatur. Klock. *d. l. n.* 118. (3.) licèt unus intereſſatus conſenſerit: Niſi & reliqui VVesenb. *d. Conſ. XLI. n.* 107. (4.) Ne tum quidem, ubi jus alteri in *ſpe* ſolùm quæſitum; Vultejus *lib.* 1. *cap.* VII. *n. 105.*

Thes. XVII.

Aliud Conſectarium (1.) eſt: *Novi juris* Renovationes illas *Nihil* tribuere; quia ſolum id, quod inveniunt fovent & confirmant. Vultejus *lib.1.cap.* VII. *n.59.per.c.un.per quos fiat inveſtitura. 2. F. 3.* (3.) Nemini nocere; neque ex parte Domini neque Vaſalli, aut hujus poſteris; ſed licere errorem quandocunque revocare, producendo primam. Klock. *d. Conſ.* CLXXXII. *n.* 108. quia inveſtituræ poſteriores ſemper intelliguntur eſſe factæ ſine præjudicio juris Tertio alicui quæſiti. Vultejus *Lib.* 1. *cap.* 7. *num.* 105.

Thes. XVIII.

Declaratur tamen de caſu dubio, nec non ſi intereſſati diſſentiant; ut fallat doctrina noſtra, & procedat mutatio contrà, conſentientibus VVesenb. *Conſ.* IV. *n. 36. fol. 199.*

Thes. XIX

Sanctio denique ſeu vindicatio contraventionis hæc eſt, quòd hujusmodi mutationes ſunt ipſo Jure nullæ; Quoniam

Princeps etiam ſi conſenſit, deceptus præſumitur. WESENB. *dict. Conſ.* IV. *n, 36. fol. 199.*

PARS III.

DE COGNATIS.

THES. I.

COgnata Antiquæ Inveſtituræ, eſt Inveſtitura inferior, qua Subvaſallus quis conſtituitur. Nam ſicuti poſteriores ſe habent ad Primam, ita & inveſtitura Subvaſalli ad ſuperiorem; Quare, quemadmodùm feudum pro ſe & maſculis ſucceſſoribus datum, non debet ſic dari ut in fœminas tranſeat: et versâ vice, Feudum hereditarium primitus conſtitutum, non debet effici fœmineum: & quod fœmineum fuit, non dari ut maſculinum: Ita Vaſallus quoque debet feudum iisdem pactis, legibus & conditionibus dare ſubvaſallo, quibus ipſemet habuit, aut certè non deterioribus. Sed quid ſi ſimpliciter dedit? Cenſetur eâdem lege dediſſe *arg. §. 5. J. de inupt. ſtip.* DN. PRÜSCH. *§. 18. de Excadentiis* DN. PRÆS. *in annot. ad* SCHNOBEL. *Diſp. Feud. Diſp.* IIX. *th. 25.*

THES. II.

Utrique inveſtituræ, tam antiquiori, quàm ſuperiori affinis eſt Locatio, quæ ipſa quoque vel prima eſt, vel ejus ſaltim Renovatio, inter eosdem: Ac vel ſuperior vel inferior, ſeu Sublocatio. Renovatio, quia tacite quoque fieri poteſt ac ſolet, utique iisdem legibus facta cenſetur. Pariter Conductor ſublocando, Locatori ſuo præjudicare non permittitur. Sed abrumpimus filum diſputationis: quam pro nunc intendimus. Extenſuri hæc, ſi vires & dies vel voluntas divina permiſerit.

ERRATA.

Part. I. th. 6. pro Principium, legatur Principum, th. 10. pro à alios, alios, th. 20. pro Eudi, Feudi, th. 21. pro ab, à th. 38. pro daclarationes declarationes. ibid. pro id, ad, & pro ad. id, th. 39. pro KEOKIUS, KLOCKIUS. th. 25. pro harum horum.

INdivulſa velut concomitans adeſt
Denſo, ceu liqvidum, ludicra corpori
Umbræ forma; pari non dubitataque
Ornamenta gerit ſic animi modò
Secum, nec merita his præmia denegat
Perpes ſedulitas. Iſtius impigrum
Cultorem Themidos participem docet
Te clarum ſpecimen; cætera, fidito,
Quæ debentur adhuc, defore nuſpiam.

Nobil. Dn. Freiesleben/ *Amico & Fautori ſuo honorato, gratulatur hiſce*

JOHANNES GEORGIUS SIMON, D.
Conſil. Sax. Vinar. Aulic.

ANxia vota premunt FREISLEBI corda Parentum,
nec mala ſpes de Te pectora læta capit.
Hinc Senii tremuli valida in Te fulcra reponunt,
qvò melius poſſint tempora cana geri.
Non qvoqve pervigiles ſpe decipiuntur inani
Ductores, primam qui docuêre viam.
Fluctibus aſt ſtrictum curarum Te eſſe videmus,
Amborum, ut votis debita reſtituas.
Primitias etenim ſtudiis ſpectamus honeſti
maſcula dum Muſæ das documenta Tuæ.
Naviter ingenuis operam des artibus, atqve
Aſtræ ſtudium ſit Tua cura gravis.

ABdita quàm cupidò luſtres ænigmata Legum
Lumine, quàm promptis auribus illa ſonent
Usque tuis, ſatiùs, quantumvis teſte careres,
Emiſſa in publicum jam documenta probant.

Hisce Nobiliſſ. atque Clariſſ. Dn. Reſpondenti, Fautori, Inqvilino & Commenſali ſuo honoratiſſimo, de edito Specimine gratulari voluit.

JOH. MART. Schrumpff,
C. R. S. P.

Sub fidei nexu qvô ſtent fundamine nixa
Tradita, dum tradis, fuerit dubitare nefandum,
Abſtruſos legum dextro conamine nodos
Qvin fueris cunctâ contiri tempore nixus.

Pauculis hiſce Nob. Dn. Reſp. applaudebat

Joh. Melchior Schenck/
Wiſſlb. Thur.

INveſtituram primam, dum tradis in hocce
Egregio exemplo, nobilis ingenii
Tu vires monſtras, & juris in arte peritum,
Et doctum præbes; penſet id ergo Themis.

Hæc nobiliſſimo Domino Autori, amico & commenſali ſuo honoratiſſimo de egregiè edito ſpecimine gratulabundus adſcribere voluit

D. C. Jhring, Allendorffio
ad Salinas Haſſus.

Pia præceſſit vita,
Aſſidua ſecuta ſunt ſtudia,
Hæc conſecuta honores,

Quos votis
Perſeqvitur devotis

JOH. AND. CRAUSER.

SO läſt Mein Werthſter Freund die Tugend Probe blicken.
Und zeigt durch ſeinen Fleiß der Sinnen edlen Pracht;
Fahr alſo ferner fort; Gott wird dein Thun beglücken/
Daß dich dein ſteter Fleiß einſt noch unſterblich macht.

Alſo gratuliret ſeinem vertrauten Freunde

Chr. Fr. Sonnhoff J. U. St.

LAVREA *Vincenti: Doctrinæ,* GLORIA *ſecli:*
Grandia dùm loqueris, ſuperat VICTORIA; *Palmam*
Muſarum ſpondet chorus, & Romanus Apollo.

TIBI.
in Paucis Dilecte,
ter millies ſeverâ mente addictus,
ſcribebat

Major at eſt, ſi qvis propria virtute boniſque,
Exornat ſtudiis, gloria magna manet.
Approbat exemplo hoc FreiSLEBI cura, laborque,
Dùm laude inſigni diſſerit in Cathedra.
Macte animo læto, FRISLEBI, gloria magna
Inque manet terris, permanet inque Polo.

Nobiliſſimo Domino Reſpondenti, Fautori, Commenſali & Contubernali æſtumatiſſimo cum apprecatione omniſluæ proſperitatis hæcce adjiciebat

Johannes Chriſtophorus Siegel
J. U. Stud:

I.

DILECTE! dum TU publice
E ponte Cathedræ diſputas,
TUÆ ſimul ſcientiæ
Indicium primum facis.

II.

Hinc eſt meum TIBI quoque
Afferre plauſum maximum
Et gratulando mittere
Ex mente carmen hoc leve.

III.

Pergas AMICE pergito,
In hocce curſu ſplendido,
Ut ſis TUÆ PATRIÆ decus
Parentibusque gaudium.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Pauciſſimis hiſce lineis erga Nobiliſſimum & Doctiſſimum Dominum Reſpondentem, Patruelem conjunctiſſimum, contubernalem exoptatiſſimum, commenſalemq; ſvaviſſimum, animi ſui affectum conteſtari voluit, debuit.

FRIDERICUS Wolff/Phil. Stud.